

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

De Divina Psalmodia, Ejusque Causis, Mysteriis, Et Disciplinis, deque variis  
Ritibus omnium Ecclesiarum in psallendis Divinis Officiis, Tractatus,  
Historicvs, Symbolicvs, Asceticvs. Sive Psallentis Ecclesiae Harmonia -  
Opus novum, & curiosum, ac multiplici eruditione illustratum ... Operum ...

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1678**

Avgvstissimae Caelorvm Reginae Mariae Deiparae, In Subalpinis Italiae  
prope Montem-Regalem, miraculis coruscanti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9929**

AUGVSTISSIMÆ CÆLORVM REGINÆ  
MARIÆ DEIPARÆ,

In Subalpinis Italiæ prope Montem-  
Regalem, miraculis coruscanti.

D. JOANNES BONA ejus Ecclesiæ indignus Abbas.

D. D.

**A**dsto pavens, ac tremens altari tuo, Gloriosissima Virgo, & hunc primum ingenioli mei fœtum, qui tuta potenti manu obstetricante in lucem edutus est, pedibus tuis venerabundus ad volvo. Audies hic psallentis Ecclesiæ Filii tui dilectissime Sponsæ mysticam harmoniam; audies ploratum multum captivæ filiæ Sion ab hoc miserrimo exilio, in quo incolatus ejus prolongatur, suspirantis ad patriam; audies mœsta Cantica, quæ labia fidelium errant cœlestis tuæ Hierusalem amulantium gaudia; audies, inquam, & exaudies. Quid enim suavius potest in auribus tuis resonare, quam preces & hymni servorum tuorum Deum jugiter collaudantium, & ad ipsum clamantium die ac nocte? Hoc hujus meæ lacubrationis argumentum est, hic scopus. Sacram siquidem & divinam Psalmodiam, ejusque historiam, mysteria, & asceticam institutionem nova methodo explicare conatus sum: teque cœptis aspirante, te vires subministrante, quod nequaquam me posse sperabam, tandem perfeci. Indignus forem deinceps tuo patrocinio, Clementissima Mater, ni hoc tuum beneficium ad te rediret. Suscipe igitur qua soles benignitate hoc qualunque munusculum, quod templi hujus tholo inter tot quæ circumpendent aurea & argentea anathemata, reus voti iam pridem concepti affigo: nec enim minus pretio-

a iiij

sum, vel tibi gratum fore confido, quam si ex auro vel  
gemmais compactum esset. Excipe illud & fove munifico  
amplexu; placidissimus affulgeat illi obtutus tuae incompa-  
rabilis pietatis tanquam solare iubar, ut per omnes orbis  
Ecclesias radios emittat: ut modum laudandi Numinis  
omnibus indicet, atque in aeternum tui nominis gloria eluce-  
scat. Posside me ut rem tuam, & suprema cœlorum Regina,  
& cum volueris in hac tibi dicata æde ægris mortalibus tot  
impendere beneficia, ne me indonatum hinc patiaris abire.  
Innova signa, immuta mirabilia. Si hic cœcorum oculos  
discussa caligine, ut Solem aspicerent, aperuisti; oculos  
mentis meæ clarissima tua luce perfunde, ut lumen vultus  
Dei, quod signatum est super nos, puro semper intuitu per-  
spiciam. Si obturatas surdorum aures reserasti; da gau-  
dium & latitiam auditui meo interno, ut audiam vocem  
Sponsi loquentis in silentio ad cor Hierusalem. Si mutarum  
linguarum vincula dirupisti; tribue ori meo sermonem  
rectum & bene sonantem, ut cum divinas concino laudes  
placeant verba mea in conspectu aeterni Regis. Si male  
affectis pristinam valeitudinem depulso morbo restituisti;  
sana me diuturna infirmitate laborantem, ut integer ani-  
mus meus sine ulla ægritudine pravaæ affectionis in die  
novissimo inveniatur. Id precor humillime ante hanc miri-  
ficam Imaginem tuam in genua provolutus hac die solemni,  
quam nobis venerabilem reddidit Natale tuum, Anno post  
Verbi in utero tuo admirabilem Incarnationem CIO.  
100. LXIII.